

Regnorum Jurisdictione, Juribusque et Libertatibus, autoritateque Banali; Articuli 11. 1608. ante Coronationem editus, 27. 1609., 33. 1649., 62., 66. et 71. 1681. Annorum, \*) aliique in iisdem citati, praedicto modo cum effectu observentur.

*Quod nemo, praeter Romano-Catholicos, in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Bonorum Possessionis capax esse possit.*

### Articulus 23.

Ad conservandam porro animorum concordiam et publicam Regni tranquillitatem, quae in unitate Religionis potissimum consistere, ex eaque in modo fatis Regnis stabilita fuisse dignoscitur:

§. 1. Ex benigna suae Majestatis annuentia conclusum est: Ut in iisdem Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis, secundum Municipales eorundem Leges hoc loci confirmatas; tam in Partibus sub Jurisdictione eorundem ad praesens existentibus, quam in futurum juxta clementem suae Majestatis Sacratissimae Resolutionem ad eandem legitime reapplicandis; soli Catholici Possessionis Bonorum, uti hactenus, ita imposterum, sint capaces. \*\*)

### CAROLI VI. IMPER. & REGIS III. DECRETUM I. ANNI DOMINI 1715.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

*Circa Regiam Haereditariam Successionem et Regimen; uberior declaratio.*

### Articulus 3.

Sacra Caesarea Regiaque Majestas, Successionem Haereditariam juxta tenorem benigni Diplomatis sui immediate praeinsinuato Articulo secundo, nunc inserti, sufficienter declaratam, clementer resolvit dirigendam; et deficiente demum Masculino sexu, a Divo condam LEOPOLDO et Rege descendente, \*\*\*) avitam et veterem, approbatamque Consuetudinem, Praerogativamque Statuum et Ordinum, in Electione et Coronatione Regum, locum suum habituram esse:

§. 1. Nec Status et Ordines Regni eadem Sacra Regia Majestas secus regi, aut dirigi vult; quam observatis propriis ipsius Regni Ungariae hactenus factis, vel in futurum Diaetaliter constituendis Legibus:

§. 2. Qua Regia clementissima declaratione; circa clausulam: Prout super intellectu et usu Legum, Regio et communi Statuum consensu Diaetaliter

\*) Vide dicta; ad h. art.

\*\*) Confirmatur; An. 1715. a. 30. §. penult. Et An. ejusd. a. 125. Item confirmatur et extenditur; An. 1723. a. 86. An. 1741. a. 46.

\*\*\*) Deficiente etiam faeminino sexu; juxta tenorem An. 1723. a. 2.